

www.e-rara.ch

Catecheses extemporaneae in quinque capita doctrinae christianae

Geiger, Mauritius

Typis Monasterij S. Galli, 1722

Stiftsbibliothek St. Gallen

Shelf Mark: SGST 13160

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102646>

Catechesis IV [i.e. XIV]. De indulgentiis.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]


Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Testimo- Peccare volenti Christus apparere, &
nio ipsius confiteri monet, ut potestatem Diaboli
Christi. effugiat. *Exempl. 25.*

Pœniten- Chrysorius pœnitentiam differens fru-
tiam ma- strâ petit inducias usque mane. *Specul.*
le differt *Exempl. verbo. mors. exemp. 3. ex lib. 4. dial.*
Chryso- *S. Greg. c. 28.*
rius.



CATECHESIS IV. De Indulgentijs.

SUMMA QUÆSTIONUM.

1. Quid est Indulgentia?
2. Quomodo fit indulgentia, seu remissio pœnæ?
3. Quis habet potestatem conferendi indulgentias?
4. Quomodo intelligendum est, quando datur indulgentia v. g. decem annorum, mille dierum?
5. Quotuplices sunt indulgentiæ?
6. Quid agere oportet, si quis indulgentias consequi velit?
7. An potest quis eodem die sapius lucrari indulgentias, si sapius repetat opera præscripta?
8. Num indulgentias alij etiam lucrari possumus?
9. Quid est Jubileum?

MISCELLANEA.

An solæ pœnæ per indulgentias remittuntur?
 Num Papa juxta placitum potest dare indulgentias?
 Quo.

Quomodo intelligendum, si dicatur condonari culpam & poenam?

Aut partem aliquam peccatorum?

Aut si plenarijs Indulgentijs addantur anni?

An remittitur poena superioribus debita?

Cursæpius 20000. annorum Indulgentiæ conceduntur?

Cur post plenarias adhuc imponitur poenitentia?

An toto tempore necessarius est status gratiæ?

An pro parte operis, pars datur indulgentiæ?

An quis pro alio potest præstare opera?

An sufficit opus obligatorium?

An impeditus præstare præscripta lucrari poterit?

An omnia opera in loco Indulgentiæ exercenda sunt? quando?

An quis uno opere plures obtinere potest?

An peccator potest lucrari Indulgentias Defunctis?

Quæstio Prima: Quid est Indulgentia?

R. Est specialis remissio poenæ temporalis post dimissa jam peccata quoad culpam, quæ sit à Prelato Ecclesiæ habente hanc potestatem.

Q. I.
Quid est indulgentia?

Memoriâ repetendum ex Catech. 12. de puncto quinto. in peccato esse culpam & poenam, sæpiusque remitti coram Deo culpam remanente poenâ; quæ vel per ipsos Sacramenti Confessionis actus, maximè per impositam poenitentiam, aut extra Sacramentum per varia opera satisfactoria, vel denique per Indulgentiarum applicationem deleri possunt: de illis actum, nunc de his. Quare

Quæstio Secunda: Quomodo ergo fit Indulgentia, seu remissio poenæ?

Q. II.
Quomodo fit Indulgentia?

R. *Per applicationem Satisfactionem Christi, & Sanctorum ex Thesauro Ecclesiae.*

Constat enim, Passionis Christi valorem & pretium esse infinitum: constat quoque plurimos Sanctorum maxime Beatissimam Matrem, S. Iosephum, S. Joannem Baptistam, Apostolos, Martyres, Anachoretas longè plus poenarum subijisse, quàm pro suis peccatis debebant. Unde *Job. 2. v. 2.* Utinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret. Hæ igitur satisfactiones & merita quasi in Ecclesiae gazophylacio reservantur, ex quo Summus Pontifex justâ & rationabili de causâ, vice Christi potestate ab ipso acceptâ, exhibet Divinæ Justitiæ easdem satisfactiones, quas Deus acceptat, nobisque poenas temporales, sub conditione tamen certi operis implendi condonat.

Unde quando datur certa indulgentia v. g. decem annorum, tantum applicatur de satisfactionibus Christi ac Sanctorum, quantum ad decennalem poenitentiam sufficit; quemadmodum si debitori centum aureorum, qui solvendo non sit, nec alius pro eo satisfacere velit, ex communi quandoque ærario succurratur.

Non

Non tamen putandum, quòd The-
saurus iste Ecclesiæ sit ens physicum, qua-
si bona opera ex toto mundo Romam
portentur, aureo dein malleo referentur,
ut cavillantur hæretici; sed quòd morali-
ter consistat in acceptatione Divina, qua-
tenus Deus merita Christi & Sanctorum
semper honorare volens, ea, ut dixi, vice
nostrarum acceptat satisfactionem, pœ-
nāsque temporales dimittit.

Sed an pœnæ duntaxat, non etiam cul-
pæ, seu peccata per indulgentias remit-
tuntur?

An solæ
pœnæ re-
mittun-
tur?

Solæ peccatorum pœnæ; culpæ enim
per merita & satisfactiones Christi in Sa-
cramentis contenta remittuntur.

Porro Veritas ista Indulgentiarum pa-
ter ex Testimonio Ecclesiæ & Patrum, ita
enim docuit ipso facto S. Paulus. 2. Cor. 2.
7. 10. Ubi cuidam incestuoso, quem Sa-
thanæ tradiderat, id est, excommunica-
verat, propter poenitentiam, quam agere
cæperat, ad instantiam Corinthiorum
partem pœnæ remisit: Cui (inquit) ali-
quid donastis, nam & ego quod donavi
propter vos in Persona Christi. Ita do-
cuit Concilium Nicænum I. ubi statim re-
peritur c. 11. & 12. ut pro animi ardore, quo
quis injunctam agere cæpit poenitentiam,
possit illi Episcopus indulgentiam præ-

Veritas
Indul-
gentiar.

stare: ita quóque docuit Concil. Later. sub Innoc. III. & Lugdun. sub Innoc. IV. Ita practicabant antiquissimi Episcopi, qui ad intercessionem Martyrum solebant pœnitentiam canonicam in persecutione lapsis remittere, ideóque pœnas etiam in foro Dei debitas & in purgatorio luendas; aliàs enim fuisset hæc remissio pœnitentibus noxia. Tertull. *lib. ad Marc. c. 1. anno Christi 220.* S. Cypr. *l. 3. ep. 5. 18. anno 250.* S. Sylvester, S. Gregorius & alij, de quibus *inf. in hist.*

Nempe Doctrinam hanc accepere Patres ex institutione Christi. *Matth. 16. v. 19.* Quodcúmque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis; atqui unum ex vinculis, quæ possunt remorari hominem à consecutione gloriæ Cœlestis, est pœna temporalis in hac, vel in altera vita luenda, etiam post suscepta Sacramenta.

Q. III.
Quis potest conferre Indulgentias?

Quæstio Tertia: *Quis ergò potestatem habet conferendi indulgentias?*

R. *Summus Pontifex.*

Imprimis enim Papa habet universaliter potestatem conferendi quascúmque indulgentias jure Divino, ex cit. *16. v. 19. Matth.* Ubi Christus Petro & omnibus successoribus Episcopis Romanis claves Cœlorum tradidit, ut non solum haberet potestatem dimittendi peccata, sicut & alij Sacer-

Sacerdotes in communi, sed etiam tollendi alia vincula, solvendi & tollendi obstacula, per quæ ingressus in Cælum occludi vel impediri solet; quando enim dixit Christus: Quocunque solveris, nihil exceperit, nec peccatum, nec peccati poenam, nec quidquam aliud.

Deinde certas tantum indulgentias & jure communi Ecclesiæ possunt conferre etiam Episcopi v. g. in prima dedicatione Templi, indulgentiam unius anni, alias tantum unius quadragenæ, &c.

Denique & is potest dare indulgentias, cui Papa delegat. *Th. Sanct. Gall. tom. 7. tr. 1. sect. 3. q. 1. dub. 5.*

Sed num Papa juxta placitum potest omnibus & semper conferre indulgentias?

An semper & quibusvis?

Non potest, sed tantum ritè dispositis, id est, contritis, & ex causa justa & pro utilitate Ecclesiæ, v. g. pro concordia Principum, extirpatione hæresum, &c. Ratio, quia Papa hujus Thesauri non est Dominus, sed dispensator tantum.

Quantitas quoque Indulgentiæ proportionata debet esse causæ juxta prudentem videlicet concedentis æstimationem, quæ peti non debet ex sola operis difficultate, sed etiam ex bonitate finis, qui per opus illud intenditur; ideò non miran-

randum, si pro parvo sæpè opere amplissima concedatur indulgentia.

Q. IV.
Quid est
Indulgentia
10. dierum?

Quæstio Quarta: *Quomodo intelligendum est, quando datur Indulgentia v. g. decem annorum, vel mille dierum?*

R. Per id non designari, quòd decem anni, aut mille dies de purgatorio remittantur, sed quòd tantam quis obtineat pœnæ remissionem, quantam obtinisset, si tanto tempore pœnitentias, juxta canones egisset.

Notandum enim olim pro gravioribus culpis graves imponi solitas esse pœnitentias v. g. pœnitentiam 40. dierum in pane & aqua, illi, qui sciens perjurium admiserat. *cap. quicunque 6. q. 1.* Adultero 7. annorum Pœnitentiam, &c. Per Indulgentias igitur ob certas causas, & sub certis conditionibus quandòque concessas remittebatur pœnitentia, v. g. 40. dierum, & consequenter tantum durationis purgatorij tollebatur, quantum per dictam pœnitentiam in pane & aqua tollebatur.

Indulgentia
culpæ &
pœnæ?

Quomodo intelligendum, si dicatur per indulgentiam condonari culpam & pœnam?

Dico sensum esse, quòd per ejusmodi indulgentiam concedatur facultas eligendi Confessarium, qui absolvat ab omnibus peccatis.

Quo?

Quomodo intelligendum , si dicatur remitti pars aliqua peccatorum ?

Dico intelligendum de peccatorum pœ-
nis. Cur plenarijs addantur anni ?

Quid est , quòd Indulgentijs plenarijs quandòque adduntur aliquot insuper anni ?

Ajo id ad diversos concedentes referendum esse : aut si fortè causa Indulgentiæ non fuit sufficiens , saltem valeat ad illos annos : aut ut adjuncta concedatur pro alio tempore , actione , & loco : vel denique ut ea per modum suffragij possent alijs applicari.

An per Indulgentiam non remittitur etiam pœna superioribus debita in foro externo ? An remittitur etiã pœna civilis ?

Nequaquam , sed tantùm in foro Dei interno , alioquin subverteretur respublica , & pax publica , si delicta manerent impunita.

Nec etiam remittuntur pœnæ immutabiliter à Deo decretæ in hac vita , ut sunt morbi , infamia , mors , &c. Sed pœnæ à Canonibus injunctæ & ijs correspondentes pœnæ purgatorij.

Quæstio Quinta: *Quotuplices sunt Indulgentiæ ?*

R. Multiplices.

Q. V.
Quotuplices
sunt Indulgentiæ.

Est

Est Indulgentia plenaria, quâ omnis pœna peccatis debita remittitur.

Est partialis, quâ pars tantum pœnæ remittitur. v. g. Indulgentia 100. annorum, 1000. dierum, 10000. annorum, &c. quâ remittitur tanta pœna, quanta debuisset redimere pœnitentiâ per tot annos, si possibile esset.

Quadragesima. quâ remittitur pœna, quam ut dixi per 40. dierum pœnitentiam abolere oportuisset.

Carena, quâ remittitur pœna 40. dierum abstinentiæ cum pane & aqua, & 7. annorum cum minori pœnitentia.

Indulgentia dimidiæ aut tertiæ partis peccatorum est, quâ directè & primariò condonatur dimidia pars pœnitentiæ, quam juxta Canones agere oportuisset; indirectè autem & consequenter remittitur dimidia aut tertia pars pœnarum in purgatorio differendarum. Gobat in Thesauro Indulgent. part. 2. c. 4.

Cur tot
millium
anno-
rum, &c.

Cur viginti sæpius & plurium millium annorum conceduntur Indulgentiæ?

Dico, cum innumera à multis fiant peccata, idèoque multis annorum millibus hîc persolvenda, aut in purgatorio luenda esset, meritò tantæ dantur Indulgentiæ. Et licet purgatorium tam diù fortè non durabit, poterit tamen Deus dolorum acerbitate & multiplicitate tempus recompensare, &c.

Cur

Cur post impetratas Indulgentias plenarias Confessarij imponunt pœnitentiam?

Dico, tum quia plerumque dubium, an reverà fuerint impetratæ indulgentiæ plenariæ; tum in medicinam & cautelam futurorum peccatorum, &c.

Quæstio Sexta: Quid agere oportet, si quis Indulgentias consequi velit?

R. 1. Neceſſe eſt, ut quis ſit in ſtatu gratiæ, & deleverit peccatum ſeu veniale, ſeu mortale, cujus pœnam vult abolere; ſtante enim culpâ nunquam dimittitur illius pœna. 2. Ut quis impleat omnia, quæ in Bulla præſcripta ſunt. 3. Ut opus præſcriptum faciat cum intentione lucrandi Indulgentiæ.

Circa primam conditionem. Ratio eſt, quia peccator, cùm ſit inimicus Dei, non meretur aliquid ſibi de pœna remitti.

Sed num toto tempore, quo conditiones implentur, neceſſarius eſt ſtatus gratiæ?

Dico, ſufficere, ut ante impleram ultimam conditionem ſit quis in ſtatu gratiæ.

Inſuper ad conſequendas perfectè Indulgentias plenarias oportet expellere affectum ad omne quodcùnque etiam veniale peccatum.

Circa ſecundam conditionem. An quis

pro

Q. VI.
Quid
oportet
agere &c.

1. Eſſe in
ſtatu gra-
tiæ.

2. Imple-
re omnia
præſcri-
pta.

pro parte operis expleri, etiam partem Indulgentiarum consequitur?

Dico negativè, quia hæc est mens Sanctæ Ecclesiæ, ut vel nihil, vel totæ indulgentiæ concedantur; si quis tamen exiguum quid de opere implendo omiserit, pro nihilo reputabitur.

An potest quis lucrari indulgentias, si alius pro eo opus illud faciat?

Dico, si alius opus præstet tantum instrumentaliter, tu principaliter, v. g. famulus tuo jussu pauperibus pecunias eroget, tunc obtinebit indulgentias: si verò alius opus præstet principaliter, ut sit in confessione, jejunio, oratione, &c. nihil obtinet, quia is propriè non jejunat, &c. & hoc ex mente summi Pontificis Indulgentias concedentis.

An opere, ad quod ex obligatione aut præcepto quis tenetur v. g. Missa, potest promereri Indulgentias?

Dico posse; nisi aliud in concessione exprimitur.

An æger aut alio impedimento detentus, si præscripta implere opera non valeat, lucrari poterit Indulgentias?

Ajo non posse, nisi in ipsa concessione expressum sit; quia Indulgentia est stricti Juris, nec plus valet, quàm sonat.

Nec

Nec dicas, Indulgentiam utpotè privilegium, latè explicari posse.

Respondeo hoc intelligendum esse in dubijs, & dum propria verborum significatio strictiorem expositionem non postulat, alioquin liberum esset cuique, quam vellet interpretationem confingere.

Si in Ecclesia quapiam sit indulgentia plenaria, sub ea conditione, ut ibi fiat Confessio, Communio & Oratio, an necesse, ut omnia ibidem peragantur?

Dico sufficere, si unum saltem è tribus ibi fiat.

Quandò incipit dies ad consequendas indulgentias?

A vespera vigiliæ, usque ad vesperam sequentis diei.

Circa tertiam conditionem. An requiritur actualis intentio?

3. Cum intentione lucrandi.

Dico probabiliter sufficere interpretativam seu habituales, si videlicet reipsâ præstes, quod requiritur, etsi ignores vel oblitus sis indulgentiam concessam esse. Vide plura in *Theol. Sanct. Gall. cit. tom. 7.*

Sed qualis in ipsa operum executione requiritur intentio?

Dico implenda juxta intentionem Pontificis, qui plerumque jubet orari. 1. Pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ. 2. Pro ipso summo Pontifice. 3. Pro Concordia Principum.

cupum. 4. Pro extirpatione hæresum. 5. Pro avertenda fame, peste & bello.

Q. VII.
An potest
quis sæ-
pius in
die lucra-
ri?

Quæstio Septima: *An potest quis eodem die plures lucrari indulgentias, si sæpius repetat opera præscripta, v. g. sæpius recitet rosarium, visitet Ecclesiam?*

R. Posse, si indulgentia concessa sit absque determinatione temporis, v. g. si quis visitaverit S. Capellam B. V. in Eremo, lucretur indulgentias plenarias: si verò concessa sit cum determinatione & explicatione temporis, v. g. ad unum vel alterum diem, à primis vespers, usque ad occasum solis, non posse sæpius quàm semel obtineri.

Ratio, quia hæc videtur mens concedentis, ideòque tempus præscribitur, ut ostendatur, non posse sæpius eandem Indulgentiam acquiri. *Toletus*.

An plures
uno ope-
re?

An quis uno opere plures Indulgentias obtinere potest, v. g. si quis unum numisma, Rosarium unum, aut unum agnum Dei secum portet, quorum cuilibet sit annexa Indulgentia 10. annorum, si recitetur psalmus *Miserere*, an si semel tantum recitem dictum psalmum, lucror indulgentias 30. annorum?

Dico, vero similis non lucrari, sed singulas Indulgentias singulis actibus comparandas; alioquin non consisteret proportio congruens inter Indulgentias & earum causas, &c. *Th. Sanct. Gall. cit. dub. 6.*

Quæ.

Quæstio Octava: Nam Indulgentias etiam alijs lucrari possumus?

R. Omnino: si pontifex expressè concedat, maximè defunctis.

Q. VIII.

An etiam alijs possumus lucrari?

Et quidem in praxi sæpiùs permittimur Indulgentias applicare Defunctis, rarissimè verò vivis.

An etiam peccato mortali obstrictus potest lucrari Indulgentias Defunctis?

Omnino potest, sufficit enim, ut recipiens sit in statu gratiæ, quales sunt Defuncti: tum, quia non peccator dicendus est satisfacere pro Defunctis, sed facere opus, quo posito Papa applicet Defuncto Indulgentiam, id est, satisfactionem Christi & Sanctorum.

Quæstio Nona: Quid Jubilæum?

R. Est Indulgentia plenaria cum certis privilegijs v. g. quod possit quis eligere Confessionarium, absolvi à censuris & casibus reservatis, commutationem impetrare votorum, &c.

Q. IX.
Quid est
Jubi-
læum?

Adde & hoc incitamentum, quòd etsi aliàs sæpiùs possimus acquirere Indulgentias, in Jubilæo tamen certius & perfectius; Deus enim efficacius per gratias prævenientes movet hominem ad requisita facienda, quàm aliàs, tum propter preces Pontificis & Ecclesiæ, tum propter plura cujuslibet opera, jejunia, preces, eleemosynas, &c.

E c

Con-

Condi-
tiones.

Conditiones sunt. 1. Jejunium. 2. Eleemosyna. 3. Visitatio Ecclesiarum. 4. Confessio & Communio.

De Indulgentijs in genere & in particulari vide plura apud Gobat in *Thesauro Indulgentiarum*, & in lib. de *Jubileo*.

Item Henricum Manigar in *praxi pastoralis parte*. i. c. 8. Item Marchant. in *horto posttr.* 5. l. 1.

RECAPITULATIO.

HÆc de Indulgentijs summa est. (1.) Indulgentia est specialis remissio pœnæ temporalis. (2.) Fit per applicationem Satisfactionum Christi & Sanctorum : solum delet pœnam, non culpam. (3.) Conferre illam potest Papa : quaedam etiam Episcopi, & quidem ex justa tantum causa. (4.) Quando datur Indulgentia v. g. 10. annorum, intelligendum de Pœnitentia Canonica : Indulgentia à culpa denotat facultatem eligendi Confessarium : remissio tertiæ patris peccatorum intelligenda de pœnis : plenariæ adduntur subinde anni, ut saltem hi acquirantur, &c. (5.) Indulgentia alia plenaria, alia partialis, Quadragena, Carena. Indulgentia dimidiæ aut tertiæ partis peccatorum. Datur 20000. annorum Indulgentia propter frequentiam : etiam post

post plenariam imponi solet poenitentia, &c. (6.) Ad lucrandas Indulgentias oportet esse. 1. In statu gratiæ. 2. Implere præscripta. 3. Habere intentionem : Sufficit, si ultimum opus fiat in gratia : Indulgentiam vel totam consequimur vel nihil. Nemo potest pro alio opera præstare; valet etiam opus ex obligatione : impeditus nil lucratur : sufficit unum opus peragere in loco, &c. Dies incipit à Vespera : sufficit intentio interpretativa. Intentio formanda secundum mentem Concedentis. (7.) Eodem die non potest quis sæpius lucrari indulgentiam, &c. Nec uno opere plures, &c. (8.) Alijs possumus lucrari indulgentias, si expressum sit; etiam peccator Defunctis. (9.) Jubilæum est indulgentia plenaria cum certis privilegijs, &c.

EXHORTATIO.

Discimus hîc Charissimi primò, agnoscere veritatem Indulgentiarum, tantquam rei antiquissimæ, indèque miram Omnipotentis Dei misericordiam collaudare, quòd tam mitem poenas eluendi modum concefferit. Intendite, cum homo in lubrico ambulet, facillimèque labatur & peccet, ecce benignissimus Deus, quàm facile quòque medium ad manus dedit,

Discimus
I. veritatem Indulgentiarum.

momentaneam Contritionem, & brevissimam Confessionem! Verum cum perfecta Contritio nonnullis accidat difficilis, frigide imperfecteque confiteantur, adeoque vix remissis per Sacramentum cum attritione culpis, remaneant illarum poenae, idcirco satisfactionem quandam salutarem imposuit. At verò cum & hoc difficile, & plerique levissimam subire poenitentiuunculam horreant, adeoque poenae plurimae adhuc persolvendae restent, hem tertium obtulit medium, quod est penè nihil, Indulgentiam! quae per recitationem rosarii, aut unius saepe Ave, perunctionem pectoris, &c. multorum millium annorum deleantur poenae. Benedictus Deus Pater misericordiarum, & benedictus Dominus noster Jesus Christus, cujus meritis haec omnia fiunt, &c.

2. Illas
participa-
re.

Dilectus secundò, cum tanti sint Indulgentiarum Effectus & fructus, eas studiosissimè & copiosissimè nobis applicare: considerare oportet acerbiter poenarum purgatorii, & longam diuturnitatem, quae omnia indulgentijs evadere possumus. Diem pro anno dedi. *Ezech. 4. v. 6. &c.* Considerandae item aliae quodque utilitates.

HÆRE-

HÆRETICI.

Indulgentias negat Lutherus, & cum eo sectarij communiter. Imò hæc ipsa quaestio dedit Lutherò causam Apostasiæ.

Indulgentias negat Lutherus, &c.

Sed refutantur ex dictis q. 2.

Obijc.

Obijciunt injuriam fieri Christo, quòd non propter ipsius tantum, sed etiam sanctorum merito petatur & conferatur Indulgentia, quasi illa non sufficiant, &c.

Dico non idèò, sed quia gloriosum est Christo ita amicos suos honorare, ut ipsorum quòque passiones suâ causâ toleratæ ad pœnæ remissionem alijs profint; cum & illæ vim suam ex virtute Passionis derivent, *Th. Sanct. Gall. cit. tom. 7.*

Confirmatur, satisfactiones viventium absque injuria in Christum prodesse possunt hominibus, si ipsi eas illis applicent, juxta *1. Col. 1. v. 21.* Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ defunt Passionum Christi, in carne mea pro corpore ejus. Ergo etiam satisfactiones Sanctorum profunt nobis applicatæ ab eo, qui potestatem habet.

Obijc. Multi sunt abusus circa Indulgentias.

Obijc.

Ajo, nil obstare; utile per inutile non vitiatur, sicut nec legitimo usui Eucharistiæ obstabit, quòd quidam apud Co-

Inthios ante Communionem se inebriaverint.

HISTORIÆ.

Indulgentias
probat S.
Sylvester.

ANNO circiter Christi 300. S. Sylvester Romæ Ecclesiam S. Crucis in Hierusalem consecravit, & visitantibus indulgentiam plenariam concessit. *Greg. de Valentia tom. 4. hist. 7. q. 20.*

S. Greg.
M.

Anno circiter 660. S. Gregorius Magnus Romæ stationes ad sepulchra Martyrum instituit. *Thomas de Aquin. in 4. dist. 20.*

Leo Papa.

Anno 803. S. Leo III. Papa ad instantiam Caroli Magni Aquisgrandi dedicavit Ecclesiam ad nomen perpetuæ Virginis Mariæ, eamque multis indulgentijs donavit. *Sur. in vita S. Svvitberti tom. 2.*

Cruce signati.

Indulgentias Militibus Cruce signatis concessas, vide in *Flor. Exempl. cap. 15. tit. 43.*

Portiunculæ.

Indulgentias Portiunculæ. *Ibid. ex Annual. Fran. t. 1. l. 2. c. 5.*

